

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0789

0787

0793

0783

0798

0778

0838

0738

0888

0688

0288

Ende

Anfang

216

fundamenta. Episcopus tamen Cyrus diligent<sup>i</sup> considera-  
tione habita, vel ex iis, quae in Danielis prophetia de tem-  
poribus legerat, vel quae in evangelio Dominus praedixerat,  
firmiter tenuit, quod nullo modo fieri posset, ut ibi a Judaeis  
lapis super lapidem poneretur. Res erat in exspectatione.  
Formidulosi Christiani timebant, fortes nullo modo dubitabant,  
Judaeos propositum perficere. Mira res! Ecce enim nocte,  
quae ad incipiendum opus jam sola restabat, terrae motus  
ingens oboritur, nec solum fundamentorum saxa longe lateque  
jactantur, verum etiam totius loci aedificia complanantur, et  
domus, in quibus Judaei commorabantur cum operariis, ad  
solum sunt deductae, et immanentes compressere. Luce vero  
orta cum se mala crederent effugisse, ad requirendos eos, qui  
oppressi fuerant, reliqua multitudo concurrit. Aedes autem  
in inferioribus templi erat demersa, habens aditum inter duos  
porticos, qui fuerant complanati, in qua ferramenta aliaque  
operi necessaria servabantur, de qua subito globus quidam (¶)  
ignis emicuit, et per medium plateae decurrentis, adustis et exani-  
matis qui aderant Judaeis, ultiro citroque ferebatur. Hoc iterum  
saepiusque et frequentissime per illam totam diem repetens  
pertinacis populi temeritatem flammis ultricibus coercedat.  
Tunc cum ingenti pavore et trepidatione omnes, qui aderant,  
deterriti solum verum Deum Christum confiteri cogebantur.  
Et ne hoc contra fidem videretur, sequenti nocte in vestimen-  
tis omnium Judaeorum signaculum sanctae crucis ita evidens  
apparuit, ut etiam qui diluere pro sua infidelitate voluissent,  
nullo genere valerent abolere. Sic deterriti Judaei pariter et  
gentiles locum scilicet et coepit inaniter reliquere et ad  
propria confusi reversi sunt. Et ab eo tempore Judaei num-  
quam ausi fuerunt quidquam attentare in loco templi. Et ita  
locus ille multis temporibus absque templo stetit.

Porro quo tempore et a quibus hoc templum, quod hodie  
stat in area sancta Arnan Iebusaei, sit aedificatum, a pluribus  
miratur. Verum Magister in Specul. Histor. de excitatione  
templi in incendiis sic dicit: templum Domini, quod modo  
Bethel dicitur, quis aedificaverit, nescitur. Quidam tamen  
aedificatum ab Helena post crucis inventionem cum templo  
sancti sepulchri; quidam ab Heraclio, cum de Perside

